

1694.

1. Albinus, Bonifacius : De febre quartana intermittente
2. Albinus, Bonifacius : De elephantiasi
- 3^o = Cocejus, Henricus : De finibus bonae fidei, in praesencia
bonibus de iure canonico.
4. Fuchs, Ioh. Henricus : De via media.
5. Fuchs, Ioh. Henricus : De iure matris circa libera
diverso a iure patris.
6. Fuchsius, Iohannes Henricus : De voto captandae
mortis
7. Schultze, Petrus : De his, quae in domo judicis
fiunt.
- 8^o = Schultze, Petrus : Demum in parentes infuriose
I. 1. 2. 2. 3. explore ..
9. Willenborg, Samuel Fredericus : De iure credulitatis.

1674

10. Willenberg, Samuel Fiduricus : *Innovatione legati.*
11. Willenberg, Samuel Fiduricus : *De protestis incredibilibus.*
12. Willenberg, Samuel Fiduricus : *De stigma in facie non verbendo.*

576

G. 29. num. 23.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA,

De

FINIBUS BONÆ FIDEI IN PRÆSCRIPTIO- NIBUS DE JURE CANONICO,

Quam

DIVINI NUMINIS AUSPICIO

Consensu Magnif. J. Ctorum Ordinis,

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

JCTO FAMIGERATISSIMO,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDICÆ
ORDINARIO, & PROF. PRIMARIO,

Antea

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI,
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, ET IN ALMA
HEIDELBERGENSI DECRETAL. PANDECT. & JURIS
GENT. P. P. ORDIN. MERITISSIMO,

Domino Patrono ac Promotore suo submiso Honoris ac Obser-
vantie cultu devenerando,

D. V. Maji Ann. O. R. cl. DC XCIV.

IN AUDITORIO JCTORUM

Placido Eruditorum Examini sistit



JOHANNES CHRISTOPHORUS LAURENTIUS,
Cöth. Anhalt. AUTOR.

Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI, Sen.

*SERENISSIMO PRINCIPI
ac DOMINO,*

**DN. EMANUELI
LEBRECHT,**

PRINCIPI ANHALTINO,

Duci Saxoniae, Angriae & VVest-
phaliae, Coiniti Ascaniae, Do-
mino Servestae ac Be-
renburgi &c. &c.

Domino meo Clementissimo.

GERMANIA PRINCIPI
AE DOMINO.

DILEXIT TERRAM

HEBRECHT.

PRINCIPALIA TIBI

DILEXIT AIAZIA AVA

QUEM GOMORRAHES

DUO SORORES DE HES

DEPENSIGRAGA

DEUTERONOMIO 32 14



SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.

Ur ad Pedes SERENITATIS
Tuæ exiles hasce studii
Juridici primitias, nullâq;
sui parte Principali Cul-
mine dignas, deponere audaci⁹ præ-
sumple-

sum pferim, ejus rei causam hic mihi
prolixius operosiusq; orandam cen-
serem utique; nisi vel ipsa naturalis
erga Principes pietas, qvæ non ob-
lationum pretio, sed animi sinceri-
tate se metiri patitur, pro me verba
faceret: Vel ipsum Anhaltini Prin-
cipis Nomen, in qvod tum aliarum
Illustrium Virtutum, tum Clemen-
tiæ in primis hereditatem qvasi præ-
gnantisimam transcripserunt Glo-
riosissimæ memoriæ Majores, omni-
genam Clementiam certò certius
sponderet. Scilicet decantatissimâ
isthac Tua, SERENISSIME PRINCEPS, in
literas earumq; Cultores benignita-
te usq; adeò commotus sum, ut mi-

hi

hi qvoq; gratiōsē autumarim indul-
tum condonatumq; iri, si oculorum
TUORUM fulgorem in tenues hasce
pagellas convertere humillimē sata-
gerem. Tanta qvippe est Virtutis
TUÆ sublimitas, ut fastigii Tui splen-
dorem augeri potiūs quām delibari
censeas, cùm ad ejusmodi tenuioris
quoque sortis hominum studia ali-
qvando TE demittis: Ultinec eo mi-
nus suum soli illibatum perstat Lu-
men, qvi depresso etiam terrarum
locis lucis suæ usurā indulgere haud
dedignatur. Impertia ergo & hisce
lineis aliquem Clementiæ radium,
qvas SERENITATI TUÆ humillimā, qvā
decet, Veneratione in præsentia of-
fero.

ZVITALIT

fero. Ego certè devotis Divinum
Numen noctes diesque sollicitabo
precibus, ut TE, SERENISSIME PRIN-
CEPS, totamq; Serenissimam DOMUM
TUAM novis qvotidiè prosperitatis
incrementis uberrimè illustrare ac
perficere largissimè, Imperiumque
Tuum longè auspicatissimum red-
dere velit.

SERENITATIS TUÆ

Francofurti ad Viadrum,
d. 5. Maji, An. 1694.

Subiectissimus Servus

JOHAN. CHRISTOPHORUS LAURENTIUS.



SECTIO I.

De

PRÆSCRIPTIONUM DIFFERENTIIS, & FINE NIBUS BONÆ FIDEI IN USUCAPIONE, UTROQUE JURE.

SUMMARIA.

1. Introitus cum cautela. 2. Distinguuntur duo genera præscriptionum: quæ allegantur vel ab eo, qvi de suo debet; vel ab eo, qvi alieni quid tenet. 3. Jus Civile antiquum & novum circa præscriptiones. 4. In questione rite subducenda tres casus diversi separantur (α) Usucpcionum in actionibus realibus, (β) Præscriptionum in actionibus personalibus, quæ dantur in eum, qvi rem alienam tenet, (γ) in iisdem, quæ dantur in eum, qvi de suo debet. 5. Dd. comm. requirere bonam fidem in tribus casibus: Bartolum & alios in solo primo: Nos in duobus prioribus. 6. Q. an quicquam labis aut iniqui sit in eo Jure Civili, quod bonam fidem in Usucpcionibus ab initio tantum requirit? Vel, an Jus Canonicum saltem melius sit? Negat & demonstratur h. th. & seqq. usq; ad fin. & in primis ostenditur, Domino dupliciti ex causa Dominium & Jus questionum recte afferri per Usucpcionem posse. 7. Quid, nec legem injustam esse, et si nec ab initio bonam fidem respiceret. 8. Illustratur id Exemplis aliarum Legum. 9. & 10. Comparatur harum Legum acerbitas cum equitate usucpcionis. 11. De bona & mala fide questioni quando locus sit 12. Hypothesis Juris Civilis, quod bona fides semper requiratur in omnibus, quæ facta possese.

A

seris

foris sunt, probatur exemplo perceptionis fructuum.
 13. Item damni infesti & Publiciana Actionis. 14. Applicatur Usucaptioni. 15. Usucapio juris est, perceptio fructuum facti. 16. Finis Usucaptionis magis obtainetur per Ius Civ. quam Can. 17. Referuntur Judicio Summorum J. Ctorum de Constitutione Canonica. 18. Quem in finem haec dicta velimus.

§. I.

Brita quidem illa & pervagata res est, Jure Civili in usucaptionibus bonam fidem ab initio sufficere; Canones vero omni tempore eam requirere, adeo ut superveniens mala fides eo jure præscriptionem interrumpat. c.s. c.f. X. de Prescript. Unde non minus vulgata & moluθεύλαντι illa quæstio est, num haec Canonum sanctio ad præscriptiones quoque actionum personalium pertineat? Verum quæ in utramq; partem ita agitata, & cum summorum J. Ctorum autoritatibus, tum plurimis fori præjudiciis ita utrinq; munita est, ut & jus & praxis videantur in ambiguo hærere. Cum itaq; frequens & quotidiana propè cum in judiciis, tum in responsis ac consultationibus ista materia sit, quæstionem eam pro Disputatione, sed paucis tractandam suscepimus. Qvod dum molimur, in primis profitemur, non utique sententiæ cuiusquam refellendæ, sed nostræ explicandæ ergo id fieri: testamurq; salvo integroq; omnium omnino judicio id solum nos acturos, ut appareat, in eam, de cuius veritate persvasi nobis videmur, sententiam non absq; urgentium rationum momentis gravissimisq; caufis nos descendere.

§. 2. In primis vero & diligentissime distingueda

da sunt duo diversa causarum genera, in quibus de præscriptione qværitur. Unum, cùm is qvi convenitur & præscriptionem allegat, de suo debet, nec ulla appetit alienæ rei possesio & detentio, uti cùm Empator ad pretium tenetur, promissor ex stipulatu, debitor ex mutuo ad tantundem, sur ad quadruplum, & alii delinqentes ad meram pœnam, &c. in his enim omnibus reus conventus de suo tenetur, suumq; & debet & detinet, nec in eo, qvod ex his causis petitur, qvicquam alieni est. Alterum cùm is convenitur, qvi alieni qvid habet, & in quo concurrit rei alienæ possesio seu detentio, veluti non tantum, qvi à non Domino ex Empto aliâ justâ causâ accepit, sed & depositarius, conductor, Creditor ratione pignoris, sur ratione rei ablatæ, &c. qvi etsi in personam obligati sint, & personali actione teneantur, tamen sunt quoq; detentores rei alienæ.

§. 3. Videndum deinde, in qua specie Usucapio lege primùm constituta sit; nimirum in solâ ultimâ specie, cùm res aliena tenetur; & ne in eâ qvidem generaliter, sed tum demum, cùm qvis rem alienam possidet ex justo dominii transferendi titulo, veluti ex empto, donato, &c. pr. Inst. de Usucap. l. 2. & t. t. C. de presc. long. temp. Non si ex deposito, commodato, conducto, pignore &c. etsi reus his casib⁹ rem alienam teneat: nem̄ si nihil alieni habeat, uti promissor ex stipulatu debitor ex mutuo &c. hæ enim actiones neq; ue usucapione, neq; ullo alio remedio per temporis lapsum olim finiebantur. Verum ne immortales illæ actiones essent, Impp. tandem ex lapsu temporis longissimi debitori nudam exceptionem dedere. l. 3. l. 4. C. de prescr. 30. ann. qvæ exceptio propriè præscriptio dicitur, hæc enim

vox, Græcis οὐδεὶς νοῦν, nudam exceptionem significat, nec præscriptiones aliter quam Exceptiones vocantur in l. un. C. de Usucap. transform. sed Justin. in l. 8. §. 1. C. de præscr. 30. ann. ex longissimo tempore, accedente bona fide, etiam actionem cuivis detentori rei alienæ concescit.

§. 4. Tres igitur species ab invicem, ut controversiae ratio ritè subducatur, probè separandæ sunt.

I. Cùm de dominio vel jure in re disceptatur, & eo nomine possessor convenitur, qui rem ex justâ domini transferendi causâ à non Domino accepit & possidet, in quâ sola specie lege civili veteri usucatio procedit, quæ tamen duntaxat ad res Italicas pertinuit, in reliquis id Prætor præscriptione longi temporis cù titulo bonâ fide supplevit. t. t. C. de præscr. long. temp. In utraq; autem bonam fidem Jure Canonico toto tempore requiri non ambigitur.

II. Cùm actione personali conventus id quod auctoris esse dicitur, tenet, atq; ita conjuncta est detentio rei alienæ, ut in deposito, conductione, &c. vid. th. 2. quibus Jure Civ. opponitur exceptio longissimi temporis, & si detentor in bona fide fit, ipsi etiam actio ex ea præscriptione datur. l. 8. §. 1. C. de præscr. 30. ann. Et in hâc quoq; specie Jure Canonum toto tempore bonam fidem requiri, contra Bartholom & seqvaces, non dubitamus, cùm & verbis & ratione constitutionis Canonicae ea comprehensa sit. vid. Sect. 2. th. 6. & seqq.

III. Cùm actione personali conventus de suo debet, neque cohæret ulla alienæ rei detentio, sed res, quam reus ex his causis debet & tenet, ipsius rei est, eamq; is de suo præstat. Et his causis ita opponitur præscriptio seu Exceptio longissimi temporis, ut nec

Jure

(5.)

Jure Civili nec Jure Can. ullibi bona fides requiratur, quin in hac quidem specie de bona fide ne quereri quidem, nedum requiri illa posit.

§. 5. Itaque de solo hoc casu ultimo, quo reus nihil alieni tenet, negamus Jure Canonum quicquam novi cautum, bonamque fidem necessariam esse. Sunt e- quidem, qui in utraque posteriori specie, atque adeo in omnibus actionibus personalibus, etiam cum res aliena penes reum est, bona fidei necessitatem inficiantur: Fuitque ea doctrina Bartoli in l. 4. §. Si viam 27. ff. de usucap. quem alii fecuti sunt. Verum hoc vulgo & meritò improbatum est, & hanc nimiam extensionem potius multitudinem dissentientium excitasse arbitramur, quippe à quibus non tam ultima species, quam altera illa, cum res aliena detinetur, oppugnata, eius præjudicia opposita sunt, ut infra se. 3. patebit.

§. 6. Ante autem quam ad hanc quæstionem progrediamur, operæ pretium videtur ad examen revocare eam quæstionem, an constitutio Juris Civilis, quam in usucaptionibus bona fidē ab initio duntaxat requirit, quicquam contineat, quod rationi aut naturali æquitati adversum sit, quin an deterior saltē sit Constitutione Canonica? Qvod utrumque omnino negamus. Etsi enim Jure Naturali sanctum non sit, ut lapsu temporis (quod saltē intra memoriam hominis sit) Dominus rem suam amittat, & aliis alienam acquirat, tamen cum in poenam negligentiae, tum ob utilitatem publicam Lege id fieri posse consentiunt ipsa Jura Canonica, quibus Usucapiones & præscriptiones æquè ac Jure Civili probantur: certumque est, potestati Civili id jus puniendi, prospiciendique publicis civium usibus naturā competere: nam, cum & res adiaphoræ Lege

ipso. 8. 3.

A 3

prohi-

prohiberi sub pœnâ possint, v. gr. ne quis rogum asciâ possiat, vel mulier genas radat, &c. nedium res qvæ jam ante prohibitionem officio frugi patris fam. aduersantur. Bene Castrensi. in d l. 4. §. si viam inf. ff. de Usucap. inquit: Creditor multatur ab ipso statuto propter negligentiam hac pœna, & sic debet cedere lucro debitoris. l. 74. de solut. constat enim quod Statutum potuit afficere sibi subjectum, & inferre ei hanc pœnam. Præsertim cum non leve illud momentum sit, quod usucapio ad tranqvillitatem reip. & civium afferat, sed omnium propè maximum, ne sc. lites sint immortales, sed dominia tandem secura & commercia in tuto: sublatâ enim usucapione & præscriptione nihil tali Civitate turbulentius, nihil Civium concordiae amicitiaeq; infestius, & nulla rei vel acquisitio vel possestio ulli hominum tutaaq; quieta esse potest.

§. 7. Quemadmodum igitur usucapiones Legibus introductæ cum naturâ justæ & æqvæ, tum in Civitate tantoper proficuae & propè necessariae sunt; ita potuisse Lex salvâ justitiâ naturali absolute eas constituerre non attentâ bonâ fide possessoris ob prædictas rationes: Licuit enim utique Magistratui summo talem Legem inter cives suos sancire, ut singuli intra triennium v. gr. curam habeant rerum suarum, in easq; inquirant, sub pœnâ, nî fecerint, amittendi indistincte dominii omnisq; Juris in eam rem: nam & naturaliter Princeps privatis jus suum ex duabus causis afferre potest: in pœnam delicti, & ob necessitates reipubl. qvorum cum alterutra sufficiat, hic utraq; concurrit, scil. pœna negligentiae, & utilitas publica, qvæ ex dominiorum securitate, civium quiete & litium amputatione pullulat.

§. 8. Atq;

§. 8. Atq; hujusmodi aliæ Leges plurimæ, ac nullo jure improbatæ sunt. Ita Lex constituta est, ut si quis rem suam privatâ autoritate repetat, dominium perdat, l. 13. ff. *Qvod met. caus. §. 1. vers. sed ne. Inst. de vi bon. rapt. l. si quis in tant. 7. C. unde vi. l. 2. C. de priv. cœrc. qvæ Lex vero & justo Domino, qui rem suam privatim repetit, in pœnam usurpatæ autoritatis private domini auffert, nec ullibi distingvitur, an possessor sci- verit rem ejus, qui repetit, esse, an ignoraverit.*

Ita cùm quis rem ex turpi utrinq; causâ accepit, danti in pœnam turpitudinis auffertur actio & condic-
tio, (qvæ Jure Gentium competebat, per l. 2r. in fin. ff.
de act. rer. amat. l. 32. in fin. ff. de Reb. Cred. l. 1. §. fin. ff. de
Cond. sine caus.) et si possessor sciens ex turpi causa accep-
perit. l. 3. l. 4. §. 1. l. pen. ff. de Cond. ob turp. caus.

Prætor quoq; edixit, ut, si quis domum suam ludo præberet, & ex ea re injurias, damna, furta, &c. passus esset, actione, qvæ eo nomine ipsi jure competeteret, privatus esset, in pœnam præbitæ in ludum domus, et si illi, in quas actio daretur, dolo & malâ fide fecerint, & graviter deliqverint. l. 1. §. 1. §. 2. §. 3. ff. de aleat.

Qvin in criminibus etiam gravissimis, uti adulteriis, qvinquenniis, in aliis saltē vicennii præscriptio accusationem tollit: uti & doli actio biennio, injuriarum, anno excluditur, *infr. Sect. 2. §. 20.* Qvin ergo præscriptio, qvæ enormissimorum facinorum reis ob utilitatem publicam prodest, minus prodesse posset possessori saltē scienti rem alienam esse. *Conf. d. §. 20.*

§. 9. Qvin igitur pari jure fas esset punire neglig-
gentiam civium, qui Legem certum tempus inqviren-
dis rebus suis præscribentem aspernantur, & cùm litis
desit propè notitia litem magno reip. malo, inchoant.

Imo

Imò cùm in criminibus etiam gravissimis, uti modò dictum, qvinquennii, vel saltē vicennii præscriptio accusationem aboleat, qvi minùs lex permettere posset, ut præscriptio prodeset scienti rem alienam, qvām ut atrocissimorum facinorum reis.

§. 10. Qvod si itaq; salvā æqvitate naturāli legilicium fuit usūcationem ita absq; ullā bonā fide introducere ex memoratis causis, omni eqvidem labē & scrupulo carebit Lex illa XII. Tabb. qvæ usūcationem non aliter admisit, qvām si totum ilud negotium, ex qvo possessor rem sibi comparavit, bonā fide gestum fuerit, adeoq; qvicq; id in factō hominis consistit, bonā fide non caruerit; cuius juris æqvitas multò luculentius apparebit, ubi ratio seu principium, qvod se-qvitur Lex Civilis, recte intellectum fuerit; Ergò qva-le id sit videamus.

§. 11. Scil. bona & mala fides non sunt nisi in hominum actionibus & negotiis, & tantūm qværitur, an, qvod homines egerunt, bonā vel malā fide egerint; uti de dolo, cuius species est mala fides, nunq; qværitur extra hominum actiones, nec qvicq; dolosum dici potest, qvām factum hominis.

§. 12. Accurata itaq; qvām maximè est sanctio Juris Civilis, qvod semper & in omnibus, qvæ factō possessoris fiunt, bonam fidem reqvirit, nec unq; qvām possessori ullum jus ex factō ipsius tribuit, nisi tūm cùm agi vel facit bonam fidem habuerit. Qvod constat: Nam possessor etsi bona fide & justo titulo rem acceperit, non tamen medio tempore fructus percipliendo suos facit, si tūm sciat alienos esse; cùm fructus non nisi ex suo factō, sc. perceptione, acqvirat. 1.48.
§. 1. ff. de A.R.D.

§. 13. Idem

§. 13. Idem bonæ fidei possessor actionem ex edito de damno infecto contra vicinum movere nequit; si tum ædes, qvas possidet, alienas esse rescivit. *l. 13. §. 9.*
de damn. infect. Eademq; ratione nec Publicianâ agere poterit, amissâ medio tempore possessione, nisi tum, cùm agit & repetit, bonæ fidei possessor sit. *l. 15. §. 2. ff.*
de Usu ap. junct. *l. 7. §. ult. ff. de Public. in rem act.*

§. 14. Hæc itaq; omnia cùm facto possessoris procedant, tempore qvoq; medio, qvo fiunt, reqvirunt bonam finem. At in usucapione solum initium, scil. negotium qvo possessor à non domino capit, facto ipsius fit, adeoq; bonâ fide fieri debuit, eo verò ritè gesto, & re bonâ fide & justo titulo acceptâ, dominium post certum tempus, qvo continuari debet possessio, sine novo hominis facto atq; negotio solâ potestate Legis & vi juris adjicitur: Atq; ita in eâ saltem parte usucaponis, qvæ non facto hominis, sed potestate juris perficitur, Lex non reqvirit bonam fidem.

§. 15. Hanc verò hujus juris ac differentiæ rationem esse, qvòd capio, i. e. usucatio, juris sit, perceptio facti, perspicuè & exerte exprimitur in *l. 48. §. 1. ff. de A. R. D.* cujus verba sunt: *Si eo tempore, qvo mihi res traditur, putem videntis esse, deinde cognovero alienam esse, qvæ perséverat per longum tempo capio, an fructus meos faciam?* Pomponius, verendum, ne non sit bona fidei possessor, qvamvis capiat [i.e. usucapiat] hoc enim ad ius, id est capionem, illud ad factum pertinere &c. Ex qvo loco patet, bonam fidem in perceptione fructuum semper, in usucapione verò ab initio reqviri; utrumq; enim in facto hominis consistit: at reliquo tempore usucaptionis, qvo sola Lex operatur, eam non reqviri. Qvæ eqvidem ratio satis est constans, accurata & sana.

B

§. 16. Prae-

§. 16. Præterea, si causam ac finem usucaptionis respicimus, scil. ut lites tandem sopianuntur, civesq; quieti sint, longè convenientior est dispositio Civilis quam Canonica: per illam enim id agitur, ut lapsu tempore, qvod inqvirendis rebus suis permisum est Dominis, & probatâ à possessore saltem justâ causa & bona fide negotii qvod gesit, omnis alia lis & qvæstio conticescat. At dispositio Canonum omnem ferè fructum ac utilitatem publicam Usucaptionum everit; cum enim usucatio introducta sit, ut tandem evitentur difficiles illæ Dominiorum disputationes ac probationes, in harum locum per Canones substituuntur non minus difficiles disputationes & probationes de totius mediæ temporis & plurimorum annorum non interruptâ b. f. quare non minus prolixus litium ordo iterum panditur. Qvin per hos Canones & resuscitantur magis disceptationes de dominio, & qvod unicum ferè tutum certumq; remedium fuerat probandi dominii destruitur: nam usucatio cum suo initio seu qualitate negotii, qvo possessor rem acceperat, haut difficulter, & hoc modo dominium tutò certòq; probari potuit; At quantum ille probandi per usucacionem dominii modus enervatus fit, ex qvo invadere & oppugnare eam usucacionem licuit, excitatâ lite de totius mediæ temporis bonâ fide, cuiq; obvium est. Quid enim difficultius est, qvam tot annorum continuam & haut interruptam bonam fidem, nec ipsius possessoris tantum sed & antecessorum, qvorum ille tempora continuat, docere; cum tamen is, qui intentionem suam in usucacione fundat, eam cum omni sua qualitate & requisitis probare debeat, arg. l. 10. pr. ff. si serv. vind. l. 2. ff. de Prob. &c. gvicqvid nonnulli scriniorum compilatores temere dissent.

dissentiant vel transcribant. Quid verò certi, qvæ probatio esse potest in usucapione, in qvam ingenti difficultatum dubiorumq; mole incurſari, qvæq; tam facile eludi potest.

§. 17. Undè nec evitavit hoc Jus Canonum censuram maximorum JCtorum. Johan. Petrus de Ferrar. JCtus Italus, in præc. Pap. form. Respons. rei conv. vers. præscriptionis. n. 28. defendens sententiam Juris Civilis adit: Nec obstat, qvod periculum anime vertatur: quia ista ratio, salva reverentia, est multum fatua: & deinde longè graviora in hos Canones subſicit. Item W esembec. ad Schneidew. tit. de usucap. in princ. n. 20. lit. I. de hâc conſtitutione Canonum ita loquitur: Nec ratio nec decisio ejus textus valet. Nam qvid pertinet huc dictum Apostoli: Quicquid non fit ex fide, peccatum est: scil. aqve illud intellexerunt ut hæc jura præscriptionum, & diutius in hæc luce Evangelii patiemur iustitia talibus tricis imponi. Denique Cujacius, JCtorum & Galliae ſuæ lumen, ad c. 5. in fin. X. de Præscript. de eadem ita ſentit: Hunc locum ſerva interim, ut probes, quām Cynici & fufci olim fuerint, qvæve imperitia & incuria curia Romana.

§. 18. Qvicqvid sit, hodiè Jus hoc Canonicum certo ufu receptum esse conſtat: Neq; ideò hæc disputamus, ut in dubium illud vocemus, ſed ut appareat, cum Juris Civilis diſpositionem omni labore carere, optimâq; ratione nitit, qvin in republ. præferendam eſſe alteri; tūm intolerabilem eſſe abuſum, qvo multi, non perſpecta verā juris ratione, prætextu cerebrinæ, generalis, parumq; ſolidæ, qvin fictæ æquitatis, conſcientiæ laqueos neclunt, & cum ſibi tum aliorum imperitorum animis tam facile injiciunt.

FINIBUS BONÆ FIDEI IN PRÆSCRIPTIO-
NIBUS ACTIONUM PERSONALIUM.

SUMMARIA.

1. *Vid sit bon. fid.* 2. *Inde deducuntur duo consecutaria.*
Q 3. *Sententia nostra proponitur: in solo casu, quo reus de suo debet, præscriptione allegata, non requiri bonam fidem.*
Illa probatur XVI. argumentis. 4.s. *Hoc casu ne questionem quidem de bona fide concipi posse, nec terminos habiles esse.*
 5. 7. 8. 9. *Nec verba, nec rationem, nec sententiam juris Canonici hic spectare.* 10. *Jus Naturale & 11. Civile ac Canonicum permittere debitori, ut rem debitam ad exactionem Creditoris usq[ue] retinere possit.* 12. *Jure Can. præscriptionem etiam post interpellationem creditoris perfici posse, & quā ratione?* 13. *Canones quoq[ue] non requirere bonam fidem, cum solo odio non petentis inducta est præscriptio.* 14. *Juri Civili inservendum, donec probetur abrogatum.* 15. *Canones non possunt correxisse Jus Civ. in casu, quo nullibi mentio fit mal. f.*
 16. *Major culpa est Creditoris negligentis quam Domini.* 17. *Majus periculum à præscriptionis difficultate imminent debitori rei propria, quam possessori rei aliena.* 18. *Debitor hujusmodi difficultus se defendit quam possessor.* 19. *Contraria sententia admissa tolli ferè omnem præscriptionem longissimi temporis.* 20. *Major in hoc culpa est Creditoris non petentis quam debitoris non solventis.* 21. *Præscriptiones criminum non improbat Jus Can.* 22. *Contraria resolvuntur.* 23. *Dissentientis Carpzovii objectiones exponuntur.* 24. *Diluuntur.* 25. *Explicatur l. 13. §. f. de petit. hered. & l. 42. cod.*

§. I.

Accinctur iam nos ad disputationis materiam principalem, in primis probè constituendum putamus,

mus, quid in jure sit bona fides? Illa vero non minus accurate quam perspicue describitur ex l. 109. de V. S. quod bona fides dicatur, cum is, qui rem tenet, ignorat eam alienam esse; aut putavit cum, a quo accepit, jus alienandi habuisse, d. l. 109.

§. 2. Unde sequitur, I. non posse bonae fidei vel locum vel mentionem ullam esse, vel de ea ullo modo quæri, ubi non quæritur nec controvertitur, an res aliena sit nec ne, nedium, an ignoraverit esse alienam, (quod solum quæritur in bona fide per thes. r.) sed ubi constat, reum conventum de suo teneri, & id quod petitur ipsius esse. II. Nec de bonâ fide quæstionem ullam esse posse, ubi reus conventus nihil quod actoris esse dicitur tenet, adeoq; non quæritur, an eam rem putaverit esse actoris nec ne?

§. 3. His præmemoratis dicimus: Bonam fidem non requiri Jure Canon. in specie nostrâ ultimâ Sect. I. thes. 4. cum reus conventus præscriptionem opponit in casu, quo nihil detinet quod alienum esse dicitur, sed de suo tantum præstare tenetur; atq; ad hanc speciem non posse ullam Juris Canonici dispositionem applicari: quod sequentibus ostendimus argumentis.

§. 4. I. Quia in hac specie non quæritur, num res quæ petitur, aliena sit, an non; sed id quod petitur reus de suo præstat, ipsiusq; id esse constat; quo casu de bona fide nec quæritur nec quæri potest. per th. 2. n. 1. Absurdumq; prorsus esset requirere, ut reus suum esse putet, quod ipsius esse constat; & ubi nec petitur nec sufficit, ut præstet, quod suum esse putat, sed quod revera ipsius est.

§. 5. (II.) Omnis bona fides ponit & requirit casum, quo reus tenet aliquid quod actor suum dicit, per th. 2.

¶. 2. nam tum demum qværitur, an reus sciverit an ignoraverit, id actoris esse: At verò in hác specie nihil qvicquam tenet, qvod actor suum esse contendat, sed contrà actor agit ad id, ut reus ē bonis suis & ex suo patrimonio solvat. Contradictorium verò videtur, exigere, ut reus rem qvam tenet, ignoraverit actoris esse, cùm taleim rem, qvæ dicatur actoris esse, non teneat; qværere an reus rem teneat, qvam suam esse putaverit vel actoris, ubi neutrum qværitur, & de neutro dubitatur vel litigatur, sed actor unicē intendit, ut reus de suo quid præsteret. Adeò in hác specie nulli sunt termini habiles vel congrui, qui vel qvæstionem de bonâ vel malâ fide admittere vel recipere queant!

§. 6. III. Tantum verò abest, ut Jus Canonicum ullatenus ad hanc speciem pertineat, ut nec verba ejus, nec ratio nec sententia ullo sensu huc detorveri aut applicari possint: sed manifestè ea omnia unicē spectant detentions rerum alienarum. Hoc ostendit c. 4. X. de prescript. qui textus (qvo primūm necessitas bonæ fidei toto medio tempore constituta fuit, conf. c. 15. c. 16. caus. 16. qv. 3.) non nisi de possessore rei alienæ perpetuò loquitur. En verba! *Vigilanti studio cavendum est ne male fidei NB. possessores simus in prediis NB. alienis: quoniam nulla antiqua dierum NB. possessio iuvat aliquem male fidei NB. possessorem, nisi resipuerit, postquam se NB. aliena noverit NB. possidere: cum bona fidei NB. possessor dico non possit.* Ita c. 17. X. eod. loquitur de quasi possessione jurisdisctionis seu juris exigendi juramentum fidelitatis, in verbis: *Vel tu fueris in quasi possessione juris exigendi hujusmodi juramentum. Quemadmodum & c. 19. in f. X. eod. & c. 1. eod. in 6to. de quasi possessione juris decimorum agunt; qvæ jura altera pars sibi vindicabat, altera quasi*

qvaſi posſeſſionem eorum, & ex eā præſcriptionem allegabat.

§. 7. Idem clarissimē evincit c. ult. X. eod. non tan-
tum ex verbiſ: *Ut nulla valeat abſt. NB. bona fide præſcri-
ptio;* bona fides autem posſeſſionem rei, qvæ aliena di-
citur, infert, per th. 2. ſed & magis ex verbiſ finaliſbus:
*Unde oportet, ut qui præſcribit, in nullā temporis parte rei
habeat conſcientiam NB. aliena. d. c. ult.* Deniq; in c. 2. de
R. J. in 6. dicitur: *Poffessor mala fidei ullo tempore non præ-
ſcribit &c.* Ut adeò ad oculum pateat, Juris Canonici
conſtitutiones expreſſiſimē agere de ſolis poffeffori-
buſ rerum alienarum, aut iis, qui conſcientiam ha-
bent rei aliena: nihil autem hujus eſt in noſtrā ſpecie,
ubi id ne qværitur qvidem, nedum petitur vel inten-
ditur, ſed reuſ tantum, ut de ſuo præſtet, conuenit.

§. 8. IV. Idem vel magis ex eo oſtenditur, qvod
Canones iſpi ita ſe explicent, in c. 2. junct. c. 3. de R. J. in 6.
Nam poſt regulam: *Poffessor mala fidei ullo tempore non
præſcribit,* qvæ habetur in d. c. 2. ſtatim ſubjicitur ejus
explicatio in d. cap. 3. qvod per præſcriptionem hanc
intelligenda ſit ea, qvæ cum posſeſſione eſt conjuńcta:
ita enim expreſſe dicitur, & prædictæ regulæ in d. c. 2.
in continentि ſubjugantur in d. c. 3. *Sine posſeſſione præ-
ſcriptio non procedit.* Qvod de illâ præſcriptione, qvam
noſtuemur, dici neq; v.

§. 9. V. Sed & ratio & ſententia Juris Canonici ni-
hil ad noſtrā ſpeciem pertinet. Ea enim eſt, quod nul-
la antiqua dierum posſeſſio juvare debeat mala fidei poffeffo-
rem, d. cap. 4. nam poffeffor ſcieſ rem alienam habet,
re aliena utitur, & ex re aliena fructus percipit, qui
non ad iſipum ſed ad Dominum rei pertinent, qvæ o-
mnia manifeſte iuſta ſunt & prædonem faciunt, cu-

jus injustitiam temporis diuturnitas & delinqvendi continuatio, non minuant, sed augent & cumulant. Id verò secus est in nostrâ specie, ubi debitor nihil alieni vel ex alieno, sed suum tenet & percipit, & qvos interim capit fructus ex re suâ capit; in qvo adeò injustitia illa cessat, qvoad Creditor nihil ab eo petit atq; exigit. Cùm autem exigit, interrumptur præscriptio, non propter malam fidem, sed cesante negligentia creditoris in exigendo, cùm præscriptio hæc perficiatur 30. annorum silentio, qvod silentium exactione interrumptur. *l.3. C. de prescript. 30. ann.*

S. io. VI. Atque hanc differentiam natura ipsa ratioque firmant. Quemadmodum enim naturaliter injustum ac prædonium est re alienâ uti, cuius usus omnis ad dominum pertinet, ita naturâ justum ac licitum est re suâ uti, donec is qvi jus impediendi & exigendi habet, [uti Creditor] impeditat atq; exigit. Et naturalis ratio præcipit qvidem, qvemq; abusu rei alienæ, etiam citra interpellationem, abstinere debere, at non item abusu rei propriæ, si nemo jure intercedat. Estq; is ordo naturæ, ut quemadmodum à possessore rei alienæ incipit officium ejus restituendæ, ita à creditore, cui res aliena debetur, officium ejus exigendæ.

S. ii. VII. Non tantum autem Jure Naturali & Civili, sed & ipso Canonico, debitorem rem suam alii debitam usq; ad interpellationem licite & absq; ulla labe & vitio retinere posse, vel eo patet; qvia debitor ante interpellationem non est in morâ solvendi, sed in eâ per interpellationem demum constituitur, *l.123. l.127. ff. de V. Obl. l.88. ff. de R. f.* qvod jus certum etiam Jure Canonico obtinet, nec ullibi sublatum est. Vide Peck. & Cano.

Canonist. ad c. 25. de Reg. Jur. in 6. At, si debitor etiam ante interpellationem non posset rem jure & absque vitio retinere, sed eam offerre etiam non interpellatus teneretur, utiq; si non offerret, moram offerendi faceret. Cum itaq; tum non sit in morâ etiam Jure Canonico, constat eodem jure quoque eum justè & absq; vitio interim tenere, nec rationem Canonum, qvòd malæ fidei possessor interim in gravi peccato sit, in eq; cum tempore magis perseveret, ad nostram speciem quicquam pertinere.

§. 12. Inde autem dubium videri forsitan posset, num ergo & post interpellationem, qvâ in morâ reus constituitur, præscriptio absq; bonâ fide Jure Canonico perfici possit? Quod omnino asserendum. Nam (1.) interpellatio non sufficit, nisi creditor datâ occasione insistat. l. 32. §. 1. ff. de Usur. alioquin enim videtur recessisse ab interpellatione, relapsusq; in illam in inquirendis rebus suis segnitiam, qvæ adeò jure improbat, & committit in leges, qvæ supinam tanti temporis negligientiam damnant, & dispendio actionis multant. (2.) Interpellationis effectus toto in jure nullibi statuitur, qvòd malam fidem inducat, [præterquam in possessore rei alienæ, l. 25. §. 7. ff. de hered. petit.] sed qvòd debitor interpellatus in morâ constituatur, ejusque præscriptio copta interrumpatur, non vero in perpetuum tollatur. Hos autem effectus nihil Canones mutarunt, sed moræ & hujus interpellationis utroq; jure eadem potestas est. (3.) Ex interpellatione itaque is saltem effectus sequitur, qvòd illa præscriptio, qvæ haec tenus currebat, penitus erupta atq; extincta sit, & nova inchoanda; non autem, ne priore præscriptione interrupta, alia ex novâ planè negligentia Creditoris, atq;

C

adeò

ZVIALEZ

adeò ex novâ planè causâ, rursus inchoari posuit. (4.)
 Igitur verum eqvidem est, jam debitoris culpam esse,
 qvi interpellatus non solvit, sed eam culpam ille luit
 damno ejus præscriptionis, qvam hactenus cœperat,
 non futuræ & novæ, qvam qvia nondum cœpit, per-
 dere hoc facto neqvit. Interpellatione itaq; facta, sed
 post intermissâ & neglectâ, incipit eadem planè cau-
 fa novæ hujus, qvæ antea fuerat pristinæ ac jam inter-
 ruptæ præscriptionis: scilicet nova negligentia, & silen-
 tium longissimi temporis. Etsi vero Pontifex in d.c.4.
 improbet legem, qvæ propter miserorum segnitiem præ-
 scriptionem tuetur; constat tamen ex textu ipso, im-
 probari eam non in genere, [alioquin & in bonæ fidei
 possessore improbanda esset] sed in malæ fidei posses-
 fore, de qvo solo loquitur, non de debitore rei pro-
 priæ.

§. 13. VIII. Atq; illud ipsum est, qvod & Canones
 ipsi, in c. placuit 15. caus. 16. qvæst. 3. & DD. communiter
 admittunt, cùm distingvunt, num præscriptio odio
 tantum non petentis, an & favore præscribentis, con-
 stituta sit; & illo casu non reqvirunt bonam fidem: In
 odium enim non petentis inducitur præscriptio, cùm
 in pœnam negligentiae statuitur, & actor tanto tempore
 non petens amissione actionis suæ per eam multatur..
 Id ergo fieri jure posse, etiam citra bonam fidem rei,
 Canones qvoque hoc ipso contendunt.

§. 14. IX. Certum porrò indubitatumque est, in
 præscriptionibus his bonam fidem jure civili non re-
 qviri: Certum qvoque est, hoc jus tamdiu servandum
 esse, donec probetur id stablatum esse. l. 32. in fin. C. de ap-
 pellat. Cùm igitur ex Jure Canonico de his præscripti-
 onibus id probari nequeat, qvippe qvod de rebus alie-
 nis

nis, earumq; possessionibus loquitur, constat obtinere
in iis Jus Civile, nec bonam fidem requiri.

§. 15. X. Observandum præterea, qvòd in hâc
materiâ Canones improbent & abrogent Jus Civile,
c. 4. c. fin. X. de Prescript. atqve adeò casum, de qvo Jus
Civile loquitur ; de qvo enim planè non loquitur, in
eo non potest corrigi per Jus Canonicum, nec jus, qvod
non est, alio jure tolli vel abrogari. At de malâ fide
præscriptionum, qvæ absq; possessione rei alienæ pro-
cedunt, nullibi Jus Civile loquitur , nec in toto jure
mentio bonæ vel malæ fidei in his præscriptionibus
fit. In iis qvidem, qvibus possessio rei alienæ conjun-
cta est, meminit lex civilis malæ & bonæ fidei, & hanc
qvoad effectum actionis qvoq; requirit. *l. 3. §. 1. C. de pra-*
script. 30. ann. at cæteris præscriptionibus lex nullibi
bonam vel malam fidem tribuit, nec ullum ejus rei ve-
stigium ostendi potest in universo jure ; qvippe qvod
qvoties de præscriptione ejus, qvi de suo debet, agit,
tantum qværit an interpellatus, nunquam autem an
in mala fide sit ; atq; adeò Canones , qvi de malâ fide
loqvuntur, neutiquam de his præscriptionibus intelli-
gi possunt. Qyemadmodum hanc rationem bene qvo-
que inducit Castr. in d. l. 4. S. si viam n. s. in verbis : *Cum*
Jus Can. veniat ad correctionem juris Civilis in o. fin. de Pra-
script. corrigit ipsum in omnibus casibus in qvibus loquitur ;
unde, sicut Jus Civile non curabat de illo, ita nec Jus Can.

§. 16. XI. Præsertim cum inter has præscriptio-
nes & eas, qvibus utitur detentor rei alienæ, aliæ qvo-
que qvâm plurimæ rationes differentiæ appareant :
Nam longè major culpa est creditoris, qvi vix est ut
nescire possit, cum qvo contraxerit ; qvâm domini,
qvi facilius ignorare potest, qvod alias rem ipsi⁹ aliena-
verit.

verit. Difficiliq; est domino aufferri temporis lapsu actionem, qvam Creditori. Nec excusandus est creditor, qvi cùm sibi deberi ferè non nesciat, id non exegit recenti negotio & memoriam, cù facilè adhuc liqvere res & decidi potest; sed morā suā causam dedit, ut post plurimum temporis, & præsertim inter successores lites obscuræ & inextricabiles fiant; cujus rei qvotidiana propè experientia est. Magis vero excusandus est Dominus, cujus re aliis prædonis instar, domino ferè ignaro, utitur: qvo casu magis omnino fas est Domino ignosci, qvam prædoni faveri.

§. 17. XII. Sed & longè majus periculum à præscriptione imminet debitori rei propriæ, quām possessori alienæ; & ea propter tutius ab hoc bona fides requiri potest: Possessor enim possessione suā tutus est, donec actor dominium probaverit, qvod difficillimum est; at in debitore rei propriæ nihil tuti; cùm sæpè chirographum situ & ætate obsitum in scriniis, nomen in rationibus, vel in exemplo Codicilli &c. inveniatur, qvo ipso vel statim, vel accedente saltem jurejurando probata jam intentio actoris est, teneturq; ei debitor, nisi solutum probet, cùm tamē facile apacha tanto tempore perdi amittiq; potuerit. Tantò igitur æquius meliusq; est, ut talis debitor post tantum temporis plenè securus, omnisq; lis extincta sit, qvām possessor & prædō; quantò majus certiusq; illius, qvām hujus est præjudicium, & quantò è contrario major hujus vel illius iustitia: Atq; adeò quantò major est reipubl. utilitas, ut debitorem tanti temporis lapsus planè securum tandem præstet, qvām ut possessorem.

§. 18. XIII. Hinc facilime accidere potest, ut reum et si insontem destituat omnis defensio, non vero ut posses-

possessorem: Si enim actor chirographum vel scripturam veterem casu inventam exhibeat, medio tanto tempore plurima facile intervenisse potuere, qvibus jam extinctum nomen est; forte solutio, acceptilatio, compensatio, aliiq; satisfactionum modi: facile quoque negligi chirographi repetio, vel cancellatio, perdi a pocha, &c. (qvæ omnia intra tantum morarum facillimè contingunt) qvo casu Rei heredibus omnium ignaris nullum præsidium relictum est, nisi à tempore; at possessor satis præsidii à possessione habet, neque temporis antiquitas illi defensionem, sed contrâ domino probationem eripit. Qvâ iniqvitate perspectâ, ut eandem emollirent, indicti videntur Dds., ut vulgo statuerent, ex longissimo tempore præsumi bonam fidem, atq; ita ab onere probandi bonam fidem reum relevant: Arn. à Reyer. in Thesaur. Jur. voce: bon. f. item voce: prescriptio. n. 59. & seqq. cùm tamen de jure idem hîc videatur dicendum esse, qvod de Usu capione diximus *Sect. 1. §. 16.*

§. 19. XIV. Et alias vix remanerent vestigia præscriptionum longissimi temporis; qvippe qvibus nunquam locus esset, nisi in casu, qvo debitum post mortem rei (qui suum factum natamq; inde obligationem ignorare nequit) ab heredibus ejus per 30. annos exactum non fuit; qvod vix abest à tempore immemoriali; Primum enim præter 30. vel 40. annos [qui nunquam nisi heredibus debitoris ex adversæ partis sententia currunt, cùm ipse debitor sciverit esse debitum] accedit totum tempus, qvo debitor post contractum debitum supervixit, et si diutissime; Deinde tantum ævi, quantum ex tota debitoris vita residua, & præterea ex 30. vel 40. annis heredū conficitur, vix labi solet, qvin

intercurrant tempora belli, ætates pupillorum, aliaq; quæ extra numerum 30. vel 40. annorum sunt, præscriptionemq; multum extendunt. Horum omnium annorum cumulatio in tantam facile verustatem ex crescet, qvæ initii & rei gestæ memoriam aboleat.

§. 20. XV. Qvod si justo examine librentur utriusque, creditoris ac debitoris, culpæ ac officia; culpa creditoris, cui lex terminum præscripsit, quem is neglexit, maxima est; debitoris non tam minor quam nulla; non enim culpam committit, qui ne moram quidem. Officii autem hâc in re ea ratio est, ut quisque paterfamilias suam rem sedulò curet, non vero ut alienam. arg. l.3. in princ. ff. de Jur. ign. l.39. ff. de Pact. Qvæ vero æquitas collatis utriusque meritis, impletâ jam præscriptione, magis scientiam debitoris non culposam, quam negligentiam creditoris cum culpâ & offici legisque contemptu conjunctam redarguere, & in illam potius, quam in hanc animadvertere. Certe brocardicum illud, quod potius certanti de damno quam de lucro succurri debeat, in pœnalibus fallere constat; in quibus semper prospicitur actori de lucro, ut cùm actio pœnalis in duplum vel quadruplum ultra rem ablata domino datur contra furem.

§. 21. XVI. Deniq; Canones, cùm in præscripti onibus bonam fidem reqvirunt, non loqui de præscriptionibus quæ absq; possessione rei alienæ procedunt, vel inde manifestum est, quia actioni injuriarum anno, l.5. C. de injur. doli mali, biennio, l. fin. C. de dol. mal. alii sq; actionibus ex delicto, &c. exiguo satis tempore omni jure præscribitur, et si reus conventus & præscriptione utens injuriarum, doli & fraudis, atq; adeo magnorum scelerum reus sit, tantum abest, ut bonam fidem

dem habuerit. Qvòd si ergò Jure Canonico non ini-
qvum sed fas videtur, ut brevisimi temporis, sc. anni
vel biennii, mora sceleris reum defendat, actoremq;
læsum ac insontem ab actione suâ excludat; qvæ ini-
qvitas, qvòd longissimi temporis ætas tandem reo sci-
enti contra actorem adeò negligentem prospicet?

§. 22. Adversus tot ac tanta hujus sententiae mo-
menta ac mumenta nihil ex adverso opponitur, qvam
constitutio Juris Canonici; qvam tamen neutiqvam de
his præscriptionibus, sed unicè de iis, qvibus rei alienæ
possessor, & rem alienam esse sciens utitur, expressissi-
mè loqui abundè constare, & demonstratum esse con-
fidimus.

§. 23. Et vix est ut æqvo animo vel audiri possit
Carpzovius L. 1. Responſ. 33. n. 10. & 11. ubi post glosam a-
liosque haut veretur dicere, etiam in nostrâ specie de-
bitorem largo sensu dici possessorem saltem alieni ju-
ris. En verba ejus: *Et fallax est Bartoli ratio, fundata in
possessione prescribentis: et si enim debitor ex contractu mu-
tui, locati, venditi, & similibus, qvibus quis potest conveniri
ad dandum vel præstandum res, qva in genere suo, non autem
in specie functionem recipiunt, non dicatur propriè possidere
qvicquam, qvod ad Creditorem spectat, qvia pecunia mutua-
ta statim, post traditionem Creditoris, ex causa mutuifacta
est accipientis propria: sicuti ex locato, & similibus contra-
ctibus, pecunia ante exsolutionem adhuc est detinentis pro-
pria, non aliena: largo attamen modo debitor, actione per-
sonati obligatus, dicitur possessor saltem juris alieni, secundum
Felinum, per l. nec ullam 13. §. fin. ibi, debitore, quasi juris pos-
sessore. ff. de Petit. Hered. Hactenus Carpzovius.*

§. 24. Eqvidem in tanto JCro non possumus satis
mirari, responsionem adeò ab omni sensu, ratione &
jure

jure abhorrentem. An verò debitor, qvi ex stipulatu deceat, vel rem suam dare promisit, vel ex mutuo quid debet, vel ad id qyod interest actori tenetur, ullo fano sensu qvicqvam juris poscidet, qvod actoris est? Qyod nam verò, & qvale id jus est? Omne enim totumque jus, qvod Creditori ex his causis acqviritur, est actio ipsius personalis, seu jus exigendi & perseqvendi debitum; Hanc verò actionem Creditoris non tenet debitor, sed ea tota & omne jus perseqvendi est in potestate Creditoris. Igitur si talis debitor jus alienum, qvod Creditoris est, possidet, id erit vel res ipsa debita, vel jus aliquod circa rem. Non res debita, qvam debitoris esse Carpzov, fatetur & constat: Nec jus aliquod circa rem, qvia nullum jus ex eâ causâ creditor habet præter actionem suam personalem, qvam verò ipse, non debitor, habet & tenet. Nullum igitur ullo genuino sensu vel concipi vel fingi poterit jus creditoris, qvod debitor teneat. Qyin repugnat substantia harum obligationum, ipsaqve intentio actoris, qvæ tota in eo est, ut debitor de suo præstet, non de alieno.

§. 25. Cæterū ferè minus adhuc excusari poterit, qvōd ab adversariis allegetur *l. nec ullam 13. §. fin. ibi debitore, quasi juris possessor. ff. de petit. hered. cùm ille*, textus iis potius manifeste repugnet. Nam ibi agitur de eo debitore hereditario, qvis se heredem dicit, & pro herede possidet, & ideo tanqvam juris possessor actione reali, scil. petitione hereditatis, non merā actione personali convenitur. Hæc E. species ad actiones reales, non personales, nedum ad eam speciem pertinet, qvā debitor nihil alieni tenet. Talis enim debitor, qvi tanqvam juris possessor, seu pro herede possidens, petitione hereditatis convenitur, ut in *d. l. 13. §. fin. contendit*

tendit se esse heredem, l. 11. §. 12. ff. cod. adeoq; debitum illud partem esse suæ hereditatis, sibiq; jure hereditario competere, qvod jus in rem est, unde petitio hereditatis datur. Is igitur debitor verissimè est alieni juris possessor, qvia possidet jus aliquod hereditarium, adeoq; jus reale, qvod heredis est, & qvod heres vindicat tanquam partem suæ hereditatis, qvā id continetur. l. 1. §. 17. & 18. ff. ad L. Falcid. Unde contrarium decisum est, ubi merus debitor est, qvi nō dicit se heredem; nam expressè negatur, illum esse juris possessorem, & ut talis petitione hâc conveniri posse, in l. 42. ff. de pet. her. qvæ totam rem clare exponit, his verbis: *Si debitor hereditarius non ideo nolit solvere, qvod NB. se dicat heredem, (qui est casus d. l. 13. §. fin.) sed ideo quod neget aut dubitet, an hereditas pertineat ad eum, qui petit hereditatem.*, (atq; ita neget actorem esse suum creditorem, cui debet) NB. non tenetur petitione hereditatis, (adeoq; possessor juris alieni non est.) Evidens ergò, si quid unquam, est, debitorem non esse juris possessorem, nec adeò teneri petitione hereditatis, nisi heredem se dicat, atq; ita jus reale sibi aserat.

SECTIO III.

De

USU FORI IN HAC QVÆSTIONE.

SUMMARIA.

1. *A' Nanç Phalacjwos qvadam.* 2. *Transitus ad usum fori.* 3. *Communem sententiam usu fori firmatam non nobis specialiter, sed doctrina Bartoli oppositam esse.* 4. *Qvod exemplis docetur.* 5. *Sententiam nostram communem esse ostenditur: qvòd cam probent (a) qui Bartoli sententiam*

D

olim

ZV HALLE

olim communem sequuntur. 6. Et (3) plurimi eorum, qui
contrariam, iuxta th. 4. 7. Eam praxi forensi esse firma-
tam: Testimonium f. Petri de Ferraris. 8. Job. Paponii.
9. Pauli de Castro. 10. Lamb. Goris. 11. Guidonis Pape, ubi
prajudicia utriusq[ue] Curiae, Tholosanae & Delphinensis. 12.
Marthae. 13. Usus Burgundie. 14. Cathalonie. 15. Saxonie.
16. De Usu Saxonie testimonium Coleri. 17. H. Pistoris. 19.
Dan. Mölleris. 20. Praejudicium Thesauri & Usus Pedemon-
tii. 21. Vix dari prejudicia huic sententia specialiter op-
posita. 22. Perpenditur Onciaci praejudicium. 23. Item
Rauchbari Sententia. 24. Conclusio.

§. I.

Superiore Sectione demonstratum confidimus ab-
sundē dedisse, in præscriptione actionum persona-
lium, contra eum competentium qui de suo tene-
tur nec alieni qvicquam detinet, bonam fidem nec
Jure Canonico desiderari, nec per naturam de eā qvæ-
ri, nedum requiri eam, neq[ue] rationem vel Sententiam
Canonum eo applicari posse; nec tantum in ea spe-
cie salvam justitiam naturalem, sed & jus illud plenum
æqvitatis, bono publico maximè conveniens, qvin al-
tero melius, & in universum multò rationabilius esse.

§. 2. Seqvitur nunc, ut paucis tractemus, qualiter hæc sententia autoritatibus, præjudiciis usq[ue] fori
munita sit. Et qvidem videntur primâ fronte hæc o-
mnia nobis adversa esse, atq[ue] communis sententia plu-
rimis præjudiciis firmata à nostrâ discedere.

§. 3. Verùm observandum omnino est, litem in-
ter Doctores agitari communiter & præcipue de præ-
scriptione illarum actionum personalium, qvibus de-
tentor rei alienæ convenitur, ut depositi, commodati,
pignoris, &c. Hæc ipsa enim est doctrina Bartoli in
l. 4. §. 27. de Usu scil. Canones ne in his qvidem adeoq[ue] in
nul-

nullis actionibus personalibus earundemque præscriptione exigere bonam fidem, sed in solâ præscriptione actionum realium. Cum hâc Bartoli & seqvacum doctrinâ negotium est Doctorib[us] vulgò: In hos concitata & præjudiciis armata est communis opinio & praxis, in eos, inquam, qvi bona fidei necessitatē ab omni præscriptione actionum personalium excludunt, non qvitantū ab cā specie, qvā debitor nihil alieni tenet, sed de suo debet: seu, qvod idem, in eos, qvi bonam fidem in solâ præscriptione actionum realium exigunt, non qvi ad omnes rei alienæ detentores extendunt.

§. 4. Plurimi operis & parùm ē re foret singulorum suffragia colligere, qvi non nostræ, sed Bartoli ejusq; asseclarum sententiæ nimis generali, qvin in specie isti parti, qvā detentores quoque alienæ rei vel juris non indigere bonâ fide statuunt, se usumq; fori & præjudicia opponunt. Ita inter eos est Gaiilius 2. Obs. 18. n. 6. ubi sèpius contrarium in Camera approbatum ait, sed loquitur de Creditore, qvi pignus posidet. Idem, sed de eodem casu pignoris, decisum refert Givell. Dec. 76. n. 8. & seqq. Et ita de usu Cameræ quoq; id testatur Myns. 4. Obs. 6. qvi & ipse expressè de eo agit, qvi conscientiam rei alienæ habet: Quemadmodum & Meier in Colleg. Arg. tit. de Usu ap. §. 19. in princ. Sed & latissimè qvidem integroq; Consilio, & adductis utriusque partis argumentis contrarium tueri videtur Ern. Cothman. Vol. 2. Conf. 63. per tot. verùm & hoc Consilium conceptum est de casu depositi, adeoq; de detentore rei alienæ. Et sic reliqui vel in solos alieni juris detentores, vel saltē in generalem illam Bartoli aliorumq; assertionem, qvi in nullâ præscriptione actionum personalium bonam fidem exigunt, arma sua expediunt & acuunt. Horum vero & similiūm præjudicio,

diciorum nullum nostram ferit sententiam, nisi speci-aliter in casum, quo debitor de suo debet, nihilq; alieni tenet, concepta sint: qualia, quantum quidem hactenus deprehendimus, vel nulla sunt vel vix aliqua.

§. 5. Qvibus prælibatis dicimus, hanc sententiam, qvam hactenus tuemur, esse & coñunem & usu com-muniter receptam. Communem eam esse inde ostendit, qvia PRIMÙM eam tota Bartolum sectantium, schola adeò tuerit, ut etiam plus æqvo eam extendat; uti & Hostiensis, Panormitanus, Berojus, aliiq; qvos longâ serie recensent Vasqv. *Illustr. qvæst. lib. 2. cap. 76. n. 3.* Ant. Gabr. *Comm. Conclus. l. 5. tit. de Præscript. concl. 3. vers. contraria.* Fachin. *lib. 1. cap. 63.* &c. adeò ut horum Sententiam communem dixerit Socin. *Vol. 1. Conf. 203.* qvam & olim fuisse communem vix dubium est, & deinde plures alii seqyuti sunt eximii JCti, Petr. Costal. *ad l. 6. n. 11. & seq. vers. Hinc dicitur ff. de serv. urb. præd.* Meier in Colleg. Arg. tit. de Usucap. *th. 19. in fin.* Frantz. Exerc. 5. qn. 7. in fin. & de jure Rauchbar. *p. 2. qv. 28. n. 32. 33.* Wurmser. *l. 1. tit. 45. Obs. 4.* &c.

§. 6. DEINDE ex iis, qui alteram, qvæ hodiè com-munis dicitur, amplectuntur, omnes illi nobiscum sen-tiunt, qui eam tantum partem atq; sententiam impugnant, qvæ in detentoribus juris alieni bonam fidem a-spernatur; illi enim nostram hanc sententiam, qvæ non extenditur ad hujusmodi detentores, non rejiciunt, sed probant: iiq; longè plurimi sunt & præcipui-vid. *th. 4. supr.* Est itaque hæc sententia communior utrâque alterâ, qvippe cùm utraq; pars, etsi inter se dis-sentiant, tamen in hâc parte pleriq; convenient, adeoq; communiter calculum ei adjiciant.

§. 7. Praxi verò forensi hanc sententiam obtine-re & confirmatam esse, plurimis testimoñiis Pragma-tico-

ticorum & præjudiciis evincitur. Joh. Petr. de Ferrar. in Præcl. Pap. in form. Resp. rei conv. vers. Prescriptionis. n. 28. cùm rejecisset distinctionem inter forum Civile & Ecclæsiasticum, eamq; nec attendi nec practicari dixisset, hæc addit: Tene ergo præcedentem (scil. bonam fidem in personalibus non reqviri) ut NB. usitatam.

§. 8. Joh. Paponius de Arrest. lib. 12. tit. 3. arrest. 23. ita inquit: C. fin. de Prescript. quod possessorem m. f. prescribere non posse constituit, de personalibus actionibus minime intelligitur &c. Et ita judicatum fuit arresto Grat. &c.

§. 9. Paulus de Castro in l. 4. §. si viam. n. 5. in med. ff. de usucap. sic inquit: Ego vidi Doct. solennes consulere secundum opinionem Bartoli, quam tenebant pro Evangelio, in Civitate Florentia.

§. 10. Lamb. Goris Adversar. tract. 3. p. 1. cap. 9. n. 61. & 62. hæc refert: Existimaram ego abunde sufficere lapsum 30. annorum &c. nec posse aut debere in partes vocari scrupulosam controversiam de bona malâ fide. Ita ab omni erro in patriâ obseruatum fertur, & NB. excusis tum antiquis tum nuperis rebus judicatis, apertissimè constare potest.

§. 11. Guid. Pap. Dec Gratianop. 199. num. 1. in duobus Parlamentis, Tholosano & Gratianopolitano decisum his verbis testatur: Si vero queratur, an procedat cum malâ fide prescriptio in actionibus personalibus. Et tunc dicit, quod sic &c. Et ita fuit judicatum Tholosæ, ut patet in Decisionibus Capelle Tholosana, q. p. 76. Et deinde: n. 2. & 3. Pro opinione Bart. Hostiensis &c. fuit conclusum in hac Curia Parlamenti [scil. Gratianopolitani seu Delphinensis] per Dom. meos Parlam. infra nominatos.

§. 12. Atq; hanc decisionem Curiae Tholosanæ refert qvoq; Marta in ff. nov. tit. Prescriptio c. 24. his verbis: In prescriptione actionum personalium bona fides non requiritur, quia in aliquo non peccat, si nihil possidet, sed solum

tum propter Creditoris negligentiam inducitur, & ideo debitor
tore sciente vel ignorantie semper currit tempus Creditori.

§. 13. Barth. Chasenæus de Consuet. Burgund. Rubr.
Des Forets. 13. §. De toutes choses 8. ad voc. Prescriptibiles n. 14.
etsi de jure contrarium sentiat, apud suos tamen re-
ceptum esse testatur: *Quod prescriptio 30. annorum currat*
etiam cum malâ fide & quod post 30. annos non sit opponenda
mala fides.

§. 14. Jacob. Cancerius Resol. Cathal. p. 1. cap. 15. n. 56.
idem usu Cathalonæ observari testatur.

§. 15. Wesembecius ad Schneiderw. tit. de Usucap. in
princ. n. 20. lit. H. ita notat: *Hoc [quod scil. Jus Canoni-
cum tantum de possessore rei alienæ agat,] est verissi-
mum. Sic Jus Saxon. non exigit bonam fidem, & ex allegatio-
ne mala fidei nondum vidi retractari in his terris prescripti-
onem, NB, contrâ verò pronunciatum memini, & rectè.*

§. 16. Colerus ad c. qponiam X. de Prescript. ait: *Et
secundum hanc sententiam, quod in prescriptione longissimi
temporis de Jure Civili, prout etiam de Jure Saxonico non sit
opus aliquâ probatione sive tituli sive bone fidei &c.*

§. 17. Hartm. Pistoris Obs. 201. n. 5. inquit: *Saxonico
Jure ad prescriptionem nec bonam fidem nec titulum requiri.*

§. 18. Et Simon Pistoris in add. add. Obs. 201. n. 8. § 9.
hæc annotat: *Hoc constans olim fuit inter Jctos Saxonie
sententia, quam in pronunciando observatam fuisse testatur
Wesemb. In contrarium tamen inclinârunt recentiores.*

§. 19. Dan. Möllerus Semestr. lib. 2. cap. 18. n. 4. cùm
retulisset alteram sententiam, reqviri scil. bonam fi-
dem, hæc addit: *Verum, his omnibus non obstantibus, in
Scabinatu Lipsiensi responsum fuit, creditorem intra 30. annos
neg. à debitore principali, neg. à fidejusoribus debitum pe-
tentem, post illud prescriptionis tempus exceptione repellipos-
se, et fidejusores omnibus iuris remediis renunciâsent, idq.
ad*

(31.)

ad consultationem Nobilium à Loben / quemadmodum & Se-
natus Annebergensis, & NB. postea meo quoq; tempore ali-
quoties &c. Ita quoq; in Parlamento Delphin. judicatum es-
se scribit Guid. Pap. Qvò minus itaq; opinari qvisqvam
possit, Autorem hunc testari tantum de qvæstione ini-
tio/ proposita, obstat exemplum arresti Delphinensis,
qvod allegat, & qvo unice qvæstio de malâ fide deci-
sa fuit, de qvâ ipse Möllerus proxime egerat.

§. 20. Casp. Anton. Thesaurus Qvest. for. 41. n. 4.
sic censet: Mihi sicut de rigore Juris sustentabilior videtur
Bartoli sententia, ita etiam non displicet distinctio, ut in
debitis apochariis post 40. annos prescriptionis exceptio ad-
mittatur; prout NB. à Senatu nostro [Pedemontano]
admissam fuisse scio. Nam & Impp. illi, qui prescriptioni
longissime illud tribuerunt privilegium, Catholici fuerunt, &
de malâ fide optimè instrutus erat Justin. &c. Et deinde
n. 9. Et hoc casu admissas vidi per Excell. Senatum prescri-
ptionis allegationes, qd ex Creditorum negligentias adjuva-
bantur, uti præscriptions personalium. d.c. placuit.

§. 21. His fori præjudiciis satis munita ac certa est
ejus, qvam tenemus, Sententiæ praxis, nec præjudicio-
rum varietate admodū suspensa vel dubia. Etsi enim alia
præjudicia videantur his esse contraria, & bonam fidem
desiderare: Illa tamen, ut antè diximus, non huic casui,
vo debitor de suo debet, sed alteri, qvo alieni qvid te-
ret, opposita sunt, qvippe qvem solum casum qvæstio
le bonâ fide naturâ suâ complectitur; vid. Sect. 2. §. 2. 4. 5.
proindeq; ad eum solum præjudicia de bonâ vel malâ
fide loquentia pertinebunt, nisi appareat specialiter illa
de eo, qui de suo debet, concepta esse.

§. 22. Equidem Guil. Onciacus Qy. Acad. 31. refert
Catherinum Pobellum Præsidem Senatus Sabaudici
contrarium in publico Auditorio statuisse, & eo in cau-
sa gra-

ZVII ALIE

sā gravissimā inclināsē Senatum. Verūm (1.) nec in specie ibi propositā qvæstic fuit de debitore, qvī de suo debet, sed in genere de doctrina Panormitani & Bartoli, qvi in solis actionibus realibus, non vero in ulla personalibus bonam fidem exigi docent. Et hanc assertiōnem adeo generalem improbavit Præses merito, qvod nostram sententiam non ferire ostendimus th. 3.
 (2.) Neq; ibi dicitur Præsidem ita judicāsē, sed in genere per discursum id movisse contra Bartolum. (3.) Licet vero Senatū eō inclināsse dicatur in gravissimā causā, tamen qualis ea fuerit, num debitoris reisūræ, an detentoris alienæ, non additur. Ex naturā itaq; qvæstionis de bonā & malā fide ad posteriorem id pertinet, donec aliu specie appareat. d. th. 3. (4.) Prætereo singularem ibi casum & solutionem juratō promissam fuisse. (5.) Mutui autem exemplum allegat Præses pro ratione, non autem dicitur de causā mutui actum fuisse. (6.) Deniq; una alterave sententia nihil valet' contrator res judicas & jurium invictas rationes.

§. 23. Ita & Rauchbar d. qv. 28. n. 23. [ut & alii faciunt] generaliter tantūm confusē & absq; disti ctione debitoris, qvi suum debet, & qvi alienum tene, ait, contrariam sententiam, "il in actionibus quoq; personalibus reqviri bonam fidem, esse communiorem & receptio rem: Qvod in terminis bonæ fidei non negamus."

§. 24. Atq; ita auxiliante Divino Numinе, Disputatio nis hujus telam pro ingenii modulo pertexi, qvā felicitate qvāve dexteritate æqvo Benevoli Lectoris arbitrio relinqvo judicandum, de qvo uti sper optimè, ita me totum eidem commen datum velim.

SOLI DEO SIT LAUS ET GLORIA.


ULB Halle
002 725 932

3



TA → OL

V097



G. 29. num. 25.

Q. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA, 1694, 36
De
FINIBUS BONÆ
FIDEI IN PRÆSCRIPTIO-
NIBUS DE JURE CANONICO,
Qnam
DIVINI NUMINIS AUSPICIO
Consensu Magnif. J. Ctorum Ordinis,
PRÆSIDE
DN. HENRICO COCCEJO,
JCTO FAMIGERATISSIMO,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDICÆ
ORDINARIO, & PROF. PRIMARIO,
Antea
SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI,
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, ET IN ALMA
HEIDELBERGENSI DECRETAL. PANDECT. & JURIS
GENT. P. P. ORDIN. MERITISSIMO,
Domino Patrono ac Promotore suo submisso Honoris ac Ob-
stantie cultu devenerande,
D. V. Maji Ann. O. R. clo DC XCIV.
IN AUDITORIO JCTORUM
Placido Eruditorum Examini sittit
JOHANNES CHRISTOPHORUS LAURENTIUS,
Cöth. Anhalt. AUTOR.
Francofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI, Sen.

